



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv  
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

**Perpiña, Pedro Juan**

**Lvgdvni, 1622**

Sextadecima, habita eadem de re Parisiis. XII. Kal. Augusti, 1566.  
praesente Iacobo Soriano Venetorum legato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13368**



cōscium mearum & diurnarum, & nocturnarum cōmentationum, testor illum Angelum, quem Ioannes diuino spiritu excitatus, aureum thuribulum manu tenentem vidit, & preces nostras veluti suauissimos odores incendentes Deo, testor rectorem ipsum vniuersitatis Deum optimum maximum, quem sine intermissione humiliter ac demissè deprecor, ne vos oves suas, ipsius signo obsignatas, miserabiliter interire patiatur: quæ mea vota etsi pro comperto habeo videri vobis ab errore profecta, quæ tamen apud me loco sitis, ostendant, cum eadem, quæ mihi posco, summa & immortalia bona vobis optem, ac deprecor à Deo, dabit illa spero, nobis omnibus aliquando Iesus Christus dux & auctor salutis nostræ, si & eodem ipse animo, quo cœpi vos monere pergā, & vos me deinceps vt amicum, minus prudenter fortasse, ac beneuolè tamen consilium dantem, audietis.

PETRI IOANNIS  
PERPINIANI.

*De retinenda veteri Religione, & falsa recentium  
hæreticorū doctrina reiicienda, ad Parisienses.*

ORATIO XVI.

Seriùs omninò quàm volebam, &  
quàm vos expectabaris conuenimus,



Parisienses, non vlla quidē mea negligētia, sed partim valetudinis imbecillitate, partim (dicam enim quod verum est) nōnullo metu, ne eximia humanitati vestræ, nimia assiduitate molestiam aliquam exhiberem, tametsi causa ea est, grauevt videri nemini deberet, si multis continuis diebus conuocaremur. Omnibus enim hominibus, qui se student placere Deo, cūm nihil magis expedit, quām fugere prauam de religione doctrinam, tum nulla res est difficilior, quām internoscere rectam, prauāque disciplinam. Nam in religionis prauitate spes nulla residere potest diuinæ gratiæ conciliandæ; & tanta est in rebus ipsis obscuritas, tantæ in hominum animis latebræ, tantique recessus, falsitas, vt interdum veritatem, simulatione, & inani, ostentatione vincat. Ac mihi diuinam in voluntatē intuenti, cui nihil est odiosius, quām vitia atque peccata, etsi vitæ improbitas omni ope fugienda videri solet, multo studiosius ac diligentius tamen peruersa doctrina, quām vita corrupta, videtur esse vitanda: propterea quod qui rectē institutus est, is, vt sapienter scripsit Aurelius Augustinus, & malus esse potest, si nolit præcepta sequi, quæ dicit; & bonus si omnes vitæ suæ rationes dirigere velit ad instituta rectæ salutarisque disciplinæ

In libr. de  
fide & o-  
perib. cap.  
17.



nax qui verò falsis opinionibus deprauatus  
 est, siue à doctrina vita discrepet, improbus  
 in eo est, quòd veram illam esse credit; siue  
 ex præceptis illius vitam agat, eo ipso fit  
 longè deterior, quòd non malè modò sen-  
 tit, verùm contrà quàm fas est, etiam viuit.  
 Ut enim qui viam aliquam ingressus nul-  
 quam deflectit iter, etià si resistat nonnum-  
 quam, aut referat etiam aliquando pedem,  
 multò faciliùs potest, quò intendit perue-  
 nire, quàm qui relicta via longiùs aberrat:  
 sic qui veram rectamque fidem constanter  
 persequitur, neq; diuerticula flexionè que  
 falsitatis quærit, quamuis còtentus ille cur-  
 sus offensionibus vitæ sæpè retardetur, in-  
 terdum etiam còuertatur retrò minori ne-  
 gotio cœlestem Hierosolymam, quò pro-  
 peramus omnes, ingredietur, quàm qui falsa  
 opinione velut errore viæ, cum recta se cre-  
 dat gradi quò velit, diuersam in partem fe-  
 stinat imprudens. Atque ego quidem nemi-  
 nem tam parum intelligètem esse arbitror,  
 qui non videat, rectè de religione sentien-  
 tem, Deo gratum esse posse, si facta cum fi-  
 de congruant, secus quàm oportet opinan-  
 tem, utcùmque viuat, Deo acceptum esse  
 non posse. Verùm multi specie veri recti-  
 que falluntur: qui non sperant illi quidem  
 contra B. Pauli sententiam, sine fide se pro-

Hebr. 11.



bari Deo, sed alios omnes errare putant, se solos fidem integram conseruare. Etenim falsæ disciplinæ eiusmodi verbis, & sententiis à suis auctoribus adornâtur, ita quibusdâ pietatis quasi pigmentis infucantur, vt imitatione fallaci, speciem illam diuinam adulterent religionis veræ. Præclare sanè magister, humano generi diuino munere donatus zizaniorum, hoc est, lolij nomine significauit doctrinæ prauitatem: præterquàm enim quòd vt lolium sensibus, sic illa mentibus non dissimilem violentiæ stuporem affert, & vt lolium oculorum, sic illa mentis aciem hebetiorem reddit: ex bona disciplina deprauata cupiditatibus, oritur mala, vt lolium ex tritico, vel hordeo seminibus vligine corruptis: atque vt integris frugibus lolium, sic illa persimilis est veritati, diuinitus idem ille magister cœlestis, & Apostoli magistrū imitati, pseudopphetas, & pseudoapostolos & pseudodidascalos nominauerunt omnes inuentores, ac principes alicuius nouæ falsæque doctrinæ, videlicet, vt pseudonardus falsam quamdam veræ nardi speciem præfert, sic illi veritatis, à qua longissimè absunt, videntur esse doctores admirabili sapientia idem diuinus corrector humanæ vitæ, cum lupos eos appellasset, addidit, pellibus ouium

Matt. 13.

Chrysoft.  
homil 47.  
in Matth.  
Matth. 7.  
1. Cor. 11.  
2. Pet. 2.



ouium tectos ad nos esse venturos, non sine  
 causa suos adhortans, vt eorum fallacias  
 cauerent, eo verbo est vsus quo discipu-  
 lorum curæ vehementiùs intenderent. (*At-* Matth. 7.  
*tendite,*) inquit, magna cautione opus est,  
 facile vobis illis fucum facient, nisi omnes  
 ingenij contendatis vires. Nihil profectò,  
 Parisienses, nihil est magis arduum, quàm  
 in tãta dissimilitudine falsa à veris, à rectis  
 praua, ab integris corrupta, simulata à sin-  
 ceris, à natiuis fucata secernere. Sed gratia  
 doctori nostro Iesu Christo, qui non diffi-  
 cultatem solùm indicauit, non sollicitudi-  
 nem tantùm nostram ad cauendum exci-  
 tauit, sed docuit etiam quomodo noxiæ ar-  
 bores, quamuis eximia specie ac figura, a-  
 gnoscantur, ne tam facile similitudine bo-  
 ni caperentur, à fructibus, inquit, eorum, co- Ibidem.  
 gnoscetis eos. Vt arbores pestiferæ sæpè viri-  
 ditate atque umbra salutare, ita pernicio-  
 si doctores imagine veritatis & sanctitatis  
 adumbrata vtilis vincunt, vos quid quis-  
 que ferat intuemini: arborem fructus in-  
 dicant, quæ ex disciplina proueniunt bona  
 vel mala doctorem. Quamquam hic dili-  
 genter videndum est, ne fallantur, non enim  
 vita morésque doctorum spectandi sunt, non  
 his ex fructibus iudicium fieri de doctrina  
 debet: siquidem sæpè numero vsu venit, &  
 vt



Math. 23. vt falsa doceât ij quorū ne leuissimum qui-  
 dem peccatum reprehēdas, & vt doctrinam  
 qui verā afferāt, turpiter ac flagitiosè viuat.  
 Ex hoc genere fuerunt Iudæorum quōda m  
 Scribæ, ex hoc Pharisæi, quorum monita &  
 præcepta vt sequeretur, facta vitaret, num-  
 quam populum vniuersum fuisset Libera-  
 tor noster adhortatus, nisi iudicasset cum  
 improbis moribus probā salutarēque do-  
 ctrinā non posse esse cōiunctam, illud quæ-  
 rendum est, quosnam ex se propriè fructus  
 afferat ipsa disciplina: qui sint non damnatę  
 vitæ, sed præposteræ ac peruersæ institutio-  
 nis fœtus, hi nobis ostendunt, quā vna-  
 quæque doctrina vim habeat vel ad perni-  
 ciam, vel ad salutem. Quare colligant ad-  
 uersarij nostri multa hominum sceleratè fa-  
 cta, coaceruent omnes malæ consuetudinis  
 corruptelas, flagitia Ecclesiastici ordinis  
 accumulēt, dedecora Romanæ vrbis, quæ  
 fuerunt, sunt, erunt, verbis amplificent, ad-  
 dant etiam, quandoquidem ita libet, quæ-  
 cumque malitia voluit, ingenium potuit,  
 impudentia ausa est fingere, cū hæc mala  
 nata non sint ex institutis religionis no-  
 stræ, sed ex deprauatione disciplinæ, non  
 est quòd existimentur illi obesse debere.  
 Ego verò, Parisienses, in hac quæ passim ac  
 liberè volitat, & arcessitam quandam pul-  
 chritu



chritudinem ostentat, nouitate non quæro: quid sceleratè ac flagitiosè aut fecerint, aut faciant, quicūque eam vetustati anteponūt: si quid aliquando priuatim suo cuiusque vitio commissum est, quod cū eorum institutis omninò pugnet, totum id eis remitto atque condono, sicut nobis condonari volo, quæcumque fiunt à nostris contra disciplinæ nostræ rationem: illud quæ eiusmodi ipsa per se ediderit fœtus, quæ populo Christiano pepererit bona. Peto à vobis, quorum diuersa est à nostra de religione sententiā, vt me sine contumelia cuiusquam, reliquos vestræ rationis atque sectæ fructus explicantem, pro vestra humanitate bona cū venia audiatis, nam si versus ego mali de vestro numero poëtæ non bonos, in me scriptos, neque verbis, neque sententiis, neque numeris probabiles, conuinciorum è triuio plenos, tã æquo legi animo, nihil vt inepto conuiciatori respōdendum existimarem; planè vos decet orationi meæ, nō elegantiori forrasse, at non malæ, spero; nec ineptæ, maledictis quidem certè carenti, & ab amore vestri profectæ, non patientes modò, verò beneuolas etiam & amicas aures accommodare. Atque vt inde ducatur oratio mea, vnde nata est religio Christiana, ego, Parisienses, neque vindicem generis hu-

mani,



mani, neque Apostolos in omnes partes ab illo dimissos, neque apostolorum successores animis aut fundasse, aut propagasse video, quàm posteritati tradiderunt disciplinam, multa illos cum Ecclesiæ prima fundamenta iacerent, legi fuisse perpeffos; scio cõtumeliis affectos, crudeliter excruciatos audiui: bonos, exilio, morte mulctatos accepi: exercitu & castris obsessos, atque ad internecionẽ cœsos cognoui: aliquid ipsos eodem ex genere fecisse nusquam reperi: siue idololatræ, siue hæretici essent principes, quorum illa iussu fieret, semper eorum quamuis iniquis imperiis existimarunt sibi esse parendum, non illi animi ferocia, sed submissione, non minis ac terrore, sed lenitate & benevolentia significatione: non instructis copiis, sed à Deo imploratis auxiliis, non armis, sed animis; non feriendo, sed ferendo; non occidendo, sed moriendo dimicauerunt: quo nouo & inusitato pugnae genere quantum profecerint, opulentissima regna & imperia per homines fermè nudos victa declarant, & terrarum orbis sub Christi ditionem potestatemque subiectus, cessit incõditæ indoctorum hominum voci compta philosophorum eloquẽtia, cesserunt innumerabiles copiae propè nudæ paucitati, gladij bacculis, hastæ cõtis, piscatoriis nauiculis



eulis classes ornatissimæ cesserunt, qui verò  
 ab Apostolica doctrina quacūque de causa  
 discesserunt, eorum longè aliam intelligo  
 fuisse rationem, atque viam: nam cū species  
 illa simulationis parum valeret con-  
 tra veritatem, arma illi, arma & omnia cru-  
 delitatis auxilia sibi adhibenda esse duxe-  
 runt. Quæ gens vspia fero & immanis atro-  
 ciora supplicia in Christianos excogitavit,  
 quam Valentis imperio per vltimas orientis  
 Solis, Austrique partes in veros diuinitatis  
 cultores Ariani consumpserunt? qui Nero,  
 qui Domitianus, qui Decius, qui Diocle-  
 tianus tam inhumanus in nostros, tam sæ-  
 uus, tam dirus fuit, vt Vandalorum Aria-  
 nam impietatem sequētium furor? non om-  
 nem illam barbaram atrocitatem longo in-  
 teruallo superarit? quam vel historiis om-  
 nium Gentium, vel fictis poetarum fabulis  
 memoriæ proditam scelerum immanitatem  
 infinitis partibus Donatistarum tempora  
 non vicerunt? testis est Perinthus, a quæ  
 Lampfacenæ Synodi legatos Valenti sup-  
 plices in exilium missos, & eorum Eccle-  
 sias Arianis Episcopis attributas vidit, te-  
 stis Antiochia b vrbs Syriæ clarissima, quæ  
 & suarum, & finitimarum Ecclesiarum re-  
 ctiores cum optimatibus fortunis omnibus  
 euersos, partim omni supplicio cruciatos &

a Nicep.  
 Lib. 11.  
 cap. 3.  
 b Ibid.  
 & cap. 21.  
 24.25.

neca



necatos, partim in profluentem deiectos, partim per agros, & Orontis ripas absque lare familiari vagantes adspexit, cum eis esset pro domo mundus, pro tecto cœlum, pro lecto solum, pro pane fructus agrestes, fluuiialis aqua pro vino. Testes *a* maris gurgites, & gurgitibus vicina litora, vbi distantibus in locis *b* omnium ordinum delecti viri cum nauibus, in quas impositi fuerant, miserabili incendio conflagrarunt, contrariis naturis inimicorum arte cōspirantibus. ad piorum pœnas: testis Ægyptus, *c* quæ Petro Alexandrinorum Episcopo primùm in vincla coniecto, deinde exterminato, multitudinem benè de Deo sentientem, omnibus iis malis luxit oppressam, quæ vrbe per vim capta euenire solent. Luxit Iudæorum, & idololatrarum manum in Ecclesiam irumpentem; sanctissimam Domini mensam nudi saltatoris obsceno motu, & voce pollutam; sacras virgines constupratas; custodias ciuibus confertas; optimos quoque cæsos; Monachos in vasta solitudine bello territos, & in exsilium deportatos, cadauera insepulta obiecta feris; Lucium Ariannum, suppositum in Petri locum, septum hominibus armatis, in bonorum cæde bachchantem cum amicis, propinquis, parentibus ne deplorare quidem calamitatē suam,

&c.

Niceph.  
lib. 11.  
cap. 10.  
Gregor.  
Nazianz.  
Ad Hero-  
nem.  
The. lib.  
cap. 24.



& acerbissimum dolorem lamētatione minuere per crudelitatem hostium liceret. Testis Africa, quæ Genferici Vvandali tyrannidē, cū in miserando cinere deflagrarum urbium sepulta iaceret, non aliud obcrimen, nisi quod veram diuinitatis fidem à maioribus traditam constantissimè teneret, sæuitiam illam misera sustinuit, quam nisi Victor, & qui funestæ tragœdiæ spectator fuit, literis mandasset, fictam crederemus. testis Italia, testes verò iam omnes inter Italiam, Hispaniam, & Africam interiacentes insulæ, quæ vno impetu illius bestia sanguinaria omnem pristinam dignitatem perdiderunt, testis *b* iterum Africa quæ Iuliano religionis desertore regnante, cū basilicas Donatistæ recepissent, ciuium rectè sentientium strage confectâ, Gildonianorum temporum acerbicatem sensit, & cum gemitu luctūque pertulit Circumcellionum omnibus atrociniis formidabiliores excursions. Non est necesse omnia consuetari. hæc sola tam ab humanitate remota, tam logè à diuina Saluatoris nostri, & Apostolorum ratione abhorrentia, fidem nobis facere possunt Parisienses, vnde natae fuerint, quæ tam exitiabiles tulerunt fructus, disciplina: à Deo ne, qui nihil magis odit, quàm crudelitatem? an ab illo, cuius

a Vide li  
eius de  
persecut.  
Afr.

b August.  
p. contra  
litteras Pe-  
til. ca. 83.

c August.  
li. 2. cōtr.  
duas epi-  
Gauden. c.  
20. & 3.  
contra  
Crescon.  
Gram. ca.  
42 & 48.  
& episc.  
48. & 50.



crudelitatem; an ab illo, cuius facinora egregia cædes esse pronunciauit Christus: a Ioan. 8. a quem homicidam ab initio fuisse dixit; & hominum sanguine delectari? Nunc vtram ad rationem propius accesserint noui religionis interpretes, & Euangelicæ libertatis importuni buccinatores, nolo ipse dicere, ne qui absunt ab eorū sc hola, iniuriam sibi à me fieri vociferentur. ipsorum ero sententis verbisque contentus. nolo vos existimare secus quàm quemadmodam ipsi existimandum esse iudicarint. an de Sacramentariorum genere vniuerso, quos à bello nefario contra sacras imagines suscepto, iconomachos ille vocat, obscurū est iudicium Lutheri; qui principum ac magistratuū animos accedens ad eorum impetum comprimendum ab imaginum demolitione veniri dixit ad cædem, & quid illis priopositum sit, quò spectent eorum conatus, vt mihi videtur, verè magis, quàm eleganter explicauit.

( *b Non hic est, inquit, diaboli sceptus vt oppugnentur imagines* ) aduertite, quæso, diligenter, Parisienses, considerate singula Martini verba. nos diaboli consuetudinis ignari, quod videmus, hoc illum agere voluisse putaremus; vt sacris imaginibus euersis, tantum de animorū pietate diminueret, quantum de externo cultu Ecclesiarum à maioribus

b Lib. 2.  
cōt. celest.  
prophet.



ribus nostris ex apostolica disciplina constituta detraxisset. ille verò, qui se multos cum scelerato dæmone falsis modios esse gloriatur, sensus eius omnes pulchrè callès hoc nos errore liberat, ne inquit, erretis, mali dæmonis consilia non eò pettinent, non id agit per sacrarum imaginum oppugnatores: aliud ille machinatur, quod intelligit Deo maximè displicere, quod hominum generi exitio futurum non ignorat. Quid illud est, Martine? dic, obsecro te, non diutiùs celes (*Volo, inquit, sibi foramen fieri per quod sanguinem profunderet, & cades faciat in orbe terrarum,*) Qui fieri potest, Martine, vt ad ferrum atque ad flammam spectent istorum hominum cogitationes? nihil eorum exit ex ore, nisi religiosum, pium, diuinum: sancti Spiritus instinctu ducuntur: cœlestis Patris admonitu docentur. (*Falleris, inquit, spiritus iconomachorum non est bonus:*) atqui tollunt idololatriam, Martine: restitunt veram pietatem: longo intervallo renouant perfectum illum naturæ diuinæ, verumque cultum, qui non corpore, sed animo continetur. (*Inanis, inquit, est hic sonitus verborum, spirant enim cades & seditiones:*) at vultu, motu corporis, verbis nihil nisi moderatum præ se ferunt, parum, inquit, intelligis. *Celaot, & dissi-*



*mulant ad tempus, quandiu non vident opportunitatem.*) O graue iudicium hominis inimicissimi religionis nostræ! quis nostrum seueriorem sententiam in Sacramentarios tulisset? clamabuunt isti, credo, non æquum esse Lutheri nos de se iudicium sequi inuidiæ, iræ, odio præter decorum illum indulsisse, vmbra Euangelij, quandam hominum animis obiecisse, Euangelium ipsum ne suspicione quidem attigisse; quibus ego si responderem; cum ipsi suæ de Luthero sententiæ fidem & auctoritatē à nobis tribui postulent, nihil me videre causæ, quâ obrem Luthero de ipsis credere non debeamus, quis non stultus existimator, improbaret hanc responsionem meam? sed ego Lutherum dimitto, Parisienses, nolo se quicumquam iniquo iudicio dicat oppressum. Quæ me iudicem vobis ferre vultis? vobis dico, qui nescio quo in angulo latentem pietatem inuenistis, quem æquissimum vestræ causæ iudicem fore censetis? vnum aliquem ex eodem grege? tametsi mihi contra iniquum illum futurum, omnibus approbantibus & assentientibus, respondere possim, non faciã tamē, & in tali causâ, vel infensissimo disceptatore vobiscum configere nõ verebor. Turnonia illa nauigatio, de qua alio die dixi, multas ad res vtilia nobis  
**exem**



exempla suppeditabit: de qua & quæ sunt à me tum commemorata, & quæ posthac commemorabuntur, sic à vobis accipi volo, ut si quid unquam finxisse me, si qua in re mentiri voluisse deprehensum erit, omnis orationi meæ fides in posterum abrogetur: non sum illius ministri vestri similis, qui se frequentem apud eos Romæ fuisse affirmabat, quorum neque domiciliū, neque vestimētorū colorē teneret. Cū igitur incunte vere Lugduno Turnonem nauigarē, erat in eādē naui quidam. tribunus militum bene valens & robustus, oblitus lacus Lemani cœno, cuius audacia, ut ex nautarum narratione cognoui, in illa perturbatione Reip. fuit insignis; is in contentione de religione intueri me iubebat in Petri Vireti & aliorū ministrorum vitam ego autem multa me de illis Lugduni didicisse profitebar, quæ scribere si vellem, bene longam historiam aiebam me posse cōficere, ferre non potuit homo magni & excelsi animi. huius respōsi grauitatem: ardentibus oculis, gestu omni imminente, ut impetum in me facturus esse videretur: *Usque ad necem inquit, cum eo depugnabo, quicumque aliquam Vireti maculam & labem ausus erit proferre.* O defensionem egregiam! nouam & singularem alienæ vitæ sordes eluendi rationem, ex medijs



Euangelij visceribus depromptam! Quærebat ex me idem ille Gnato, qui cum hoc Thrasone nauigabat, ecquem apostoli ad suos pedes abiectum, eos osculari passi essent? ecquando Iacobus armatus equitasset, vt in Hispaniâ equitum ordo, eius nomine institueretur? ipse vicissim à vobis, qui adestis ex eadem schola, percontor, ecquando Christus fuerit vsus hoc genere sermonis? ecquis Apostolorū, ecquis eorum qui apostolis successerunt, vel Euangelii veritatem vel innocentiam aut magistri, aut suâ hoc modo defenderit, vt contrâ sentientes ac loquentes ad certamen prouocarit? illi quidem non solùm grauissimas pro Euangelio pœnas, verum mortem etiam illatâ ab impiis alacriter subierunt: multi quoque pro interfectores Deum clara voce deprecati sunt; vocem autem illam, *depugnabo*, nunquam emiserunt; quam qui multis audientibus vsurpauit, is prorsus declarauit disciplinam suam non tam argumentis niti, quàm armis; nec ad tollendum firmum animi robur quærere, sed promptam audaciam ad dimicandum. At hominem militarem paulò ferocius esse locutum, nemini mirum videri debet. non reluctabor vobiscum hoc illi peccatum ignoscamus, modò se peccasse velit ipse confiteri. Quid? vestri  
 isti



isti clamatores, cū illa nobis frequenter inculcant, *Non veni pacem mittere, sed gladium* hunc esse diuini verbi quendam quasi genium, vt nunquam emergat quieto ac dormiente Satana, cū libellos clam spargunt ad minuendum principū, vt vos dicere soletis, Euāgelio aduersantium ius & auctoritatem, videntūrne vobis ad concordiam hortari, an impellere ad seditionem? De Lutheranis verō quid Sacramentarij sentiant difficile scilicet est atque arduum videre: quibus enim furiosum imperum attribuunt, quos omni humanitate spoliant, quos tyrannos, Cyclopes, factionem superbam gygantum appellant, eorum, credo, consilia minimè turbulenta volunt videri. At sunt inimici, dicunt irati, nullam in testimonio dicendo, vt ferenda sententia auctoritatem eos habere par est. Ergo Euangelium Euangelio inimicum est, pietas est aduersa pietati, veritas cum veritate certat. quamquam in re manifesta, quid inimicorum vel testimoniis, vel sententiis opus est? Existat nunc ab inferis Lutherus, interrogetur, an illa scripserit cū rusticorum coniurationes Muntzero duce, passim per Germaniam fieri cōpissent: gladium ceruicibus principum imminere, postulata rusticorum esse tam æqua, patronis vt iniicerēt



In libr. de  
captiuitate  
Babyl.

ruborem, effudisse Deum in principes iram  
suam: illos auctores esse diuini furoris, nihil  
ipsis ex animi sententia euenturum: clientes  
nec posse iam, nec velle tyrannidem eorum  
pati: nisi illi facerent, alios fuisse facturos: si  
delerentur omnes armis, alios à Deo exci-  
tatum iri: non rusticos ipsis resistere, sed  
Deum: Christianum hominem dummodò  
credat, non posse damnari: liberos prorsus  
esse Christianos: nulli eos humanis legibus  
teneri, Euangelium vi quadam atque dis-  
cordiâ instaurari oportere, cum se Christus  
venisse fateatur, non vt pacem hominibus  
afferret, sed vt gladium immitteret in ter-  
ras, neque spem vllam esse reliquam, id sine  
grauissima seditione perfici posse, quibus-  
cunque principes intercedant, eorum insti-  
tutum à Deo esse profectum. Si hæc à se  
scripta negauerit, codicibus in medium pro-  
latis conuincetur, eadem sepe illum pro cõ-  
cione dixisse, assidui quondam eius audito-  
res, reuiuiscere si possent, testarentur, quan-  
tum autem in his momenti fuerit ad labe-  
factadum ciuitatum Germaniæ statum, qui  
non videat, cæcum esse illum, necesse est.  
Iam de Anabaptistis & Sacramentarij, &  
Lutherani pariter fatebantur, nam à Deo  
se mandata accepisse dictitabant, vt omnes  
reges ac principes bello subactos necarent,  
impios



impios è medio tolleret, si qui amantes  
æquitatis in multitudine reperirentur, illis  
parcerent, Dauidis regnum toto orbe reno-  
uarent, in quo nemini impio futurus esset  
locus. Verùm quid ego singula conquir-  
cùm vno argumento liceat probare vniuer-  
sa? Repetite memoriâ, Parisienses, ex quo  
tempore Lutherus in Germania signum su-  
stulit ad Ecclesiæ Romanæ principatum à  
Christo institutum, ab apostolis confirma-  
tum, ab omnibus antiquis rerû diuinarum  
scriptoribus prædicatum, evertendum, qui  
motus, qui tumultus, quæ bella fuerint ex-  
orta, non illa dico, quibus duo summi reges  
inter se de imperio contenderunt; hæc tan-  
tùm bella significo solâ de religione dissen-  
sione conflata: nunquam dubitabitis, quor-  
sum pertineant recentes istæ disciplinæ, si  
modò earû euentus animo eritis & cogita-  
ne complexi. Et singulæ quidem Germaniæ  
ciuitates, quoties fuerint in armis, cû ciues  
à ciuibus pellerentur, miseris modis accipe-  
rentur, proscriberentur, commemorare lon-  
gum esset, quæ latiùs patuerunt bella, quâ  
multa, quàm cruenta, quàm atrocia fuerunt?  
quid miserabilius vnquâ vidimus, audiui-  
mus, legimas illâ infinitâ strage rusticorû?  
quorum qui numerum posteritati prodere  
voluerunt, coguntur sæpe fateri, numerum



iniri nequaquã potuisse. Quæ prælia acerbioribus odiis cõmissa Heluetij viderunt, quàm vbi stratis cadaueribus impiorũ, cum ipso impietatis auctore quinque benè sentientes pagi perpetuam sibi vitæ trãquillitatẽ virtute pepererunt? Quis in omni barbaria tyrãnus immanior vñquam exstitit, quam Monasterij V Vest: Ioannes Leydanus Anabaptista, à forficibus, acu, linis ad imperiũ repẽtẽ per vanissima somnia translatus? aut quod bellum obstinatis magis animis aliquando gestũ, quàm à Monasteriensibus illi circulatoris præstigiis miserè [deceptis, cõtra veterem patronum ciuitatis? quando maioribus in Germania viribus certatũ est? quæ luctuosior clades accepta, quàm cum opulentissimi principes coniurarunt aduersus Carolum V. Imperatorem iuuctũ? horret etiam nunc ac refugit animus, cum illa recordor: quæ si cum Arianorum factis contendere voletis, tantò hæc esse grauiora reperietis, quantò detestabilius est, imperium qui iure obtinent ab iis oppugnari qui parere debuerunt, quàm quos audientes esse dicto necesse est, vim eis à regibus & principibus inhumaniter afferri, taceo de Gallia, ne refricare videar vix dum obductam antiquissimi fidelissimique regni cicatricem, memoriã tenetis, quàm turbulenta tẽpestas  
per



per omnes eius partes peruaferit, quæ cum  
exteris nationibus intolerabilem commo-  
uerit dolorem? non difficilis est coniectura,  
quam fuerit vobis ipsis, qui eius vim sensi-  
stis, grauis & luctuosa. Utinam integrum Gal-  
lis esset inficiari, studiis religionis nouæ tu-  
multus, vllum excitari, sed recentium vulne-  
rum dolor omnem hanc vobis eripit facul-  
tatem quorum memoriam etsi vos æterna  
obliuione delere, & iniurias acceptas Chri-  
sti erga nos omnes caritati condonare, regie  
maiestati summo cõcilio, magistratibus di-  
ctos audientes esse; pacem & concordiam  
amare; pro iis omnibus, qui dissentiunt à  
nobis vt salui esse possint, Deum immorta-  
lem assiduò placare cõuenit Parisienses; per-  
suasum tamẽ habere debetis, quæ tam simi-  
les exitus habuerit religionis disciplina, eius  
alium, atque Arianorum & Donatistarum  
doctrinæ, auctorem esse non posse, nam si  
ista Euangelij propagandi ratio grata est &  
probata Deo, cur suum ille Filium pacato  
terrarum orbe inermẽ; inopem, alienæ opis  
indigentem misit? cur eo nascente pacẽ An-  
geli denunciarunt terris? cur ipse paulò ante  
mortem suos adhortatus, vt gladios emerẽt,  
si qui fortè carerent, cum illi retuli sēt duos  
esse gladios in comitatu satis esse respõdit  
cur Petrum districto gladio magistrum de-  
fende



fendere conantem, voce coercuit? cur discipulos autem suos tanquam oves in mediū luporum agmen seminudos, dimisit in omnes terrarum oras, sicut ipse missus fuerat à Patre? fac nos esse impios habere manufactos & subditos quosdam deos, quod multò est secus, sed fac ita esse, ut isti dicunt, quando Apostolis in mentem venit suadere, aut facere, aut probare quæ scimus ab istis esse patrata? quando se aut illi, aut successores eorum in suppositorum deorum cultores tam inhumanos præbuerunt, quando ut tollerent idololatriam in alienas fortunas sentio commoueri non neminem adhibebo modum orationi meæ, omnemque animi mei sensum simpliciter vobis indicabo, si omnes recentis istius siue correctionem, siue deprauationem dicere necesse est, partes approbarem, quas equidem execror, ac detestor; sed si probarem, si nihil eius non diuinum mihi videretur, si decretum iam haberem amplecti & sequi me tamen quos extulit ipse fructus cogere mutare sententiam, quos ubi tam acerbos, tamque venenatos, & ab Apostolorum institutis ac moribus tam alienos esse cognouissem, quæ eos edidisset arborem ab acerrimo illo optimi agricolæ inimico satam, pestiferamque esse minimè dubitarem, hoc ipsum vobis quoque



quoque videri suspicor, Parisienses? quod multò sanè veriùs putabitis, postquam reliquos perspexeritis præstantis disciplinæ fœtus. Nam idem ille minister religionis nouè qui mecum Rhodano secundo, Turnonem versus nauigabat, fabellam nescio quam ad contumeliam virginum sacrarum callidè compositam narrare cœpit: quàm quò falsior esse videretur, facetiis dignis moribus suis condiebat: scurram vos negaretis vidisseturpiorem, si hominem audissetis, nullam ille suæ, nullam nostræ dignitatis habebat rationem, illas etiam corporis partes & earum vsus quæ prudentes viri, si quãdo est opus, rectiùs & verecundiùs significare consueuerunt, ipse Stoicorum aut Cynicorum ratione, & modo propriis verbis, ac suis impudenter appellabat: os illud hominis, diutius ferre non potui, obiurgauit acrius: flagitiosã verborum licentiam compescere sum conatus, ille non desistere: quærere qui loqui oporteret, si suo quidque nomine dicere nõ liceret: negare Apostolos àliter esse locutos, iocosè ridere hominum vulgus qui si asinum, aut porcum dicunt, honorem præfantur; sin adulteria, latrocinia, cædes, non præfantur. ego vero ineptias vulgi nihil me morari dicere; turpiter autem & obscènè loqui flagitium putare: quod equidem inquam,



inquam, nescio an vobis Euangelium Caluini permittat; hoc vnum affirmo, Apostolorum vel consuetudini, vel scriptis, quæ omnem verborum turpitudinem damnant, nihil esse magis aduersum. Neque verò mihi quisquam dicat iocabatur ille risum voluit concitare. Quid enim? tu te nouum Euangelistam esse profiteris emendatorem corruptæ disciplinæ, magistrum veræ pietatis, & eam rationem vsurpas, quam vel leones ac meretrices paulò pudentiores vitare solent? & cum mouendi risus artifices præcipiant ne sit aut scurrilis iocus, aut inimicus; ac præstare velint Oratorẽ ingenuitatem & ruborẽ suum; verborum turpitudine & rerum obscœnitate vitanda, eaq; non solum non foro dignam putent, sed vix conuiuio liberorum, tu, qui te *θεοδιδακτος* hoc est diuinitus edoctum esse gloriaris, cui Paulus omnem vrbauitatem interdictã esse vult, vt ius, quos odisti, infamiam falsam inferas, ira iocaris, vt sermonis impuritate captes risum, quem eloquentiæ Romanæ princeps vel tenuissimum ingenij fructum esse dixit? Valde metuo, Parisienses ne Stoicorum istis, & Cynicorum disciplina vehementiùs æquo arrideat, qui nihil obscœnum esse nihil turpe edictum arbitrabantur, quidquid secundum naturam sit, id verbis apertissimis

con



contendebant esse dicendum, omnem loquendi verecundiam tollebant ex hominum vita: verendum est, ne sensim eò progrediantur, quò Cynici quondam peruenerunt, ut quæ non eos pudet apertè loqui, ea sibi putent in oculis omnium palàm esse facienda. Etsi miles, qui vna vehebatur, veteratoris illius pro petulantia disputationem non probauit, ex quo suspicari licet, hæc istorum præceptis prohiberi. Sed quid si nouam ille aliquã disciplinam instituit? quid si se Cynium videri, quàm Calvinianum mauult, aut quod mihi verò similis videatur? quid si tanto isti odio flagrant veræ pietatis, nihil ut pensi habeant quiduis facere, aut loqui, modo sanctissimas consuetudines & instituta facetissimè eludant? Eligant vtrum malint. mihi nemo persuadebit, illam à Deo manasse doctrinam, quæ vel decretorum petulantia, vel odio religionis veræ, sublato pudore liberali, effrenatam attulerit licentiam quiduis apertè dicendi, quam etiam philosophi moderati, ut Academici, ut Peripatetici, suis præceptis amputauerunt, quam etiam rhetores philosophis aliquantò leuiores improbarunt, vsque eò, ut ne verba quidem ita velint in oratione concurrere, ut efficiatur aliquid obscœnum. O Deus immortalis! quæ tanta est a-

Cic. ib. &  
in orat.

ni



nimis nostris offusa caligo, quæ tam cæca  
 nox omne nobis abstulit mentis iumen? Cõ-  
 ferte hanc, quæ se nobis inuitis infert disci-  
 plinam, cum illis omnibus, aut cum præci-  
 puis earum, quas iam olim Ecclesia vniuer-  
 sa condemnauit: facta, consuetudines insti-  
 tuta inter se comparate: pleraque imitatio-  
 ne dicetis ex illis expressa. Missam facio cru-  
 delitatem, cuius tanta similitudo est, vt ve-  
 tera illa legens, hæc recentia mala mihi vi-  
 dear intueri, deplorabunt hæc aliquando no-  
 stri posteris, quibus liberius his de rebus cõ-  
 queri licebit: illa tantum perstringam pau-  
 cis, quæ ipsi glorianda sibi esse ducunt. Iu-  
 bent perfugas nostros, nuntium remittere  
 Põtifici Romano, eiusque obedientiam ab-  
 iurare; habent hoc à Nouato, qui oblatio-  
 ne perfecta, cum partem vnicuique daret, ad  
 iusiurandum miseros adigebat, nunquam  
 ipso relicto, ad Cornelium, qui tum Eccle-  
 siæ Romanæ præerat; esse reditarios. Domus  
 istorum, quò solent conuenire; percrepant  
 virorum, sceminarum, senum, puerorùmque  
 vocibus, varia, carmina concinnentium; ea-  
 dem consuetudo fuit Apollinaristarum. Sa-  
 crum ex baptismo chrisma tollunt: sustule-  
 runt Nouatiani: se genus electum, regale sa-  
 cerdotium, gentem sanctam, populum ac-  
 quisitionis asse dictitant, nos impiorum ido-  
 lolatrium



idolatrarū, hostium Dei loco habent? nostras  
 Ecclesias tanquam idolorum templa fugiūt?  
 quid aliud Donatistæ *a* faciebant, cum or-  
 thodoxorum altaria in quibus ipsi sæpe o-  
 perati fuerant, vel frangebant, vel remoue-  
 bant, vel radebant? quid aliud Nouatiani,  
*b* qui se puros & sanctos, cæteros pollutos,  
 & contaminatos esse prædicabant, in ædi-  
 ficia religiosa, quàm in prophana, in Epi-  
 scopos; Sacerdotes. Monachos, quàm in alios,  
 sunt crudeliores? Ecclesias incendunt, euer-  
 tunt altaria, sacra vasa & vestimenta trās-  
 ferunt ad communes vsus. legite Gregorii  
 Nazianzeni orationes, vnam de se & Aria-  
 nis, alteram ad Hieronem philosophum  
 præstantem: legite sextum Optati librum:  
 legite Africanæ calamitatis historiam à Vi-  
 ctore *d* conscriptam duobus in generibus  
 hæreticorum, Donatistis, & Arianis ea-  
 dem omnia reperietis tantò ante descripta:  
 delere penitus nituntur diuinam Liturgiam:  
 annon Gensericus Vandalorum Rex in A-  
 frica, ne Missæ fierent, interdixit, annon  
 Leo fille magnus queritur: ab Eutrichianis  
 omne cœlestium mysteriorum lumen ex-  
 tinctum? sacro sancta mysteria manibus cõ-  
 minuunt, pedibus proterunt, vbicumque  
 possunt, Arianos legimus in Africa corpus,  
 & sanguinem Christi sibi tradi cœgisse tra-

*a* Epiph.  
hæres. 58.

*b* Cypr. li.  
2. ep. 8.

*c* Theod.  
compend.  
hæres. fabu-  
larum.

*d* Victor.  
li. 1. perse-  
cut. Afric.

*e* Victor.  
li. 1. perse-  
cut. Afric.  
*f* Ep. 75.



coegisse, traditum abiecisse humi, pedibus conculcasse, multi ad mortē vltro adierunt, & ea scientes commiserunt: quibus perpetratis compertum haberent, omnium suppliciorum diritatem effugere se nullo modo posse: quid inter hos & Circumcelliones illos interest, quos inermes accepimus in Africa gregatim se idolorum cultoribus armatis trucidandos obtulisse? Quæ igitur stultitia est, disciplinas illas à malo dæmone ortas esse dicere, hanc earum quasi germanam imitationē ad Deum auctore velle referre? hoc vnum restabat scilicet, vt quæ deteriores homines fecisset, eius doctrinæ principem Deum esse crederemus. Clarissimus Saxoniae dux Georgius, cuius in Christiana religione constantiam omnis æternitas prædicabit, in ea epistola, quam blandissimis Lutheri literis diuina gravitate respondit, testificatur, nunquam adulteria tam multa fuisse commissa, quam post illud præclarum Lutherani Euangelij decretum, licere mulieri quærere à quo grauida fiat, si nequeat à viro. Scribunt alij, posteaquam in Germania doceri cœptum esset, castitatem à nemine seruari posse, adolescentes à pueis vltro esse petitos. Erasmus quàm multa egregia facinora narrat eorum, qui Euangelici falsò dicerentur? qui illud etiam  
scri



scripsit, quod nunquam ex animo nobis effluere deberet, se neminem eorum, qui se ipso factus non esset longè deterior; aliquādo vidisse, Decreta noua Ludouici Aleman- ni legimus nuper ad nos missa Lugduno, in quibus illud erat, quorum animus aliquo vitio sic tentetur, vt repugnare omnino non queant eos etiam si faciant, prorsus non peccare, qua voce nefaria iuris pudoris, officii repagulis perfractis & euulsis, quis non intelligit, quantus patefiat aditus & ianua ad omnem improbitatē. Silco quæ de aliis cognoui, postquam in Galliam veni, non tamne se læsos putēt: si qui eius generis hæc audiunt, quàm vt meæ vestræq; dignitati parcam, Parisienses Non committam vt aut secus quam debeo de vobis existimare aut in hæc prudētissimorum hominum frequētia impudēs videar esse velle. Ac ne quis hoc mihi respondeat, ab inimicis isti magis accusatoriè quàm verè iactari, legite Hieronymū, Menzelium, legite Ioannem Spangē Bergiē, legite Lutherum ipsum: intelligetis istos ipsos nouitatis amatores non sēsisse modò, sed etiam scripsisse Germaniam, abiecta Pō- tiff. Max. obedientia infinita vitiorum omniū licentia exultare, nec vlli omninò velle parere. Galliaè verò moribus quanta hæc la-

De Pasto-  
rib in Po-  
tiff. Don-  
raduen



bes tum publicè, tum priuatim attulerit cō-  
 mutationem? sentiunt grandes natu ciues,  
 qui meliora illa tempora recordantes, præ-  
 sentem rerum statum taciti miserantur se-  
 tum: sentiunt homines externi non pauci,  
 qui longo interuallo reuersi negant hanc  
 illam eandem sibi quam reliquerunt, Gal-  
 liam videri: ego ipse etiam sentio, qui mul-  
 ras præstantissimæ gentis laudes ab iis, qui  
 viderant, mihi sæpe decantatas desiderare  
 cogor, cum vestigia tantum quædam earum  
 per obscura compareant & dubitamus etiam  
 nunc à quo sint sparsa semina religionis no-  
 uæ cuius fruge omnia corrupta ac perdita  
 cernamus, quærimus vtrum Deus an Diabo-  
 lus initium attulerit isti nouitati quæ orbē  
 terræ infinita cæde funestavit, turpitudinē  
 illiberalē in hominum sermonem induxe-  
 rit, insignium hæreticorum vestigia studio-  
 sè persequatur omnium nationum, quarum  
 mentes occupauit, publicos priuatosq; mo-  
 res deprauarit. Si hæc leuia putatis quæ gra-  
 uissima debent videri, si tót, & tam firmas  
 coniecturas contemnitis, si argumenta om-  
 nia repudiatis valeat apud vos Pauli aucto-  
 ritas, qui recentes doctrinas eorum, qui ab  
 Ecclesia desciscunt, doctrinas ait esse de-  
 moniorum: aut si se isti ab Ecclesia desciuif-  
 se, noui quid afferre inficiantur, valeat certè  
 apud



apud vos Lutheri vox & oratio. ille impro-  
bum dæmonem secum de sacrificio Missæ  
disputantem induxit, ab eoque se argumē-  
tis vinci fecit, nos ab alio doctore credem⁹  
illum accepisse quæ tradidit? ac non ab eo  
potius, cuius disputatione se ipse fateretur  
esse superatum? ille primas in dialogo, atq;  
in sermone partes inimico nostro tribuens,  
modò non clamat, nō esse sua quæ doceat,  
sed diaboli, qui eum misit, nos disciplinæ il-  
lius, ipso inuito ac repugnante, Deum au-  
ctorem faciemus? aut cum Euāgelium Lu-  
theri certum exploratūque sit à Satana  
ductū esse, nos quæ ab vna quasi stirpe Lu-  
theranæ doctrinæ, quamuis inter se dissimi-  
les existerent disciplinæ, eas à Deo homi-  
num generi datas & cōcessas esse dicemus?  
Vos vos appello, quicumque ignoratione  
vestra, malitia aliena, veteri recentem, ve-  
ræ falsam, solidæ inanem religionē prætu-  
lestis, vestram prudentiam requiro & effla-  
gito iudices vos disceptatores habere vo-  
lo, & si quis me fluctuantem, & vacillantem  
in vtramque partem ad vestrā disciplinam  
conaretur impellere, ei autem ego propo-  
nens dubitationes meas, hæc responderem:  
in Ecclesia, quam Papisticam vos, aduersa-  
rij vestri Catholicam appellant, etsi multa  
sunt, mala, consuetudine corrupta, manife-



Ita est tamen, & illustris à Christo ad nos  
 vsque perpetua & continuata successio, ve-  
 stræ primordia si quæramus, ad vnum ali-  
 quem veniemus breui, qui cum successerit,  
 dicere nequeat, à se ortus, disciplinæ illius,  
 detractis iis, quæ vel malitia, vel peccandi  
 consuetudo deprauauit, principia & causæ  
 honestissimæ reperientur, & plenissimæ di-  
 gnitatis; vestram à diuersis cupiditatibus,  
 auaritia, gloriæ auiditate, inuidia, ira, odio,  
 ortū habuisse, auctores ipsius & principes  
 confitentur, illa vnam eandemque fidem,  
 tot sæculorum spatio seruauit: vestra intra  
 paucos annos tot dissensionibus in tā mul-  
 tas factiones discissa est atque distracta,  
 numquam vt tot sectæ fuerint philosofo-  
 rum, tamque diuersæ illa mirifice verita-  
 tem amat & colit, vestra, cum ipsa per se  
 consistere non queat, fraudibus est atque  
 mendacijs, magna ex parte sulca, illa diui-  
 nis auxilijs, aduersarumque rerum toleran-  
 tia, non armorum nixa præfidijs, est amica  
 pacis, altrix concordia, effectrix & conser-  
 uatrix publicæ quietis, vestram, vt nihil di-  
 cam aliud, magno orbis terræ malo ni-  
 mium ferocem experti sumus: ista refecat,  
 vestra vel opinione falsa, vel bonorum odio  
 nutrit licentiam turpiter obscœnæque lo-  
 quendi: illa hæreticorum nonnulla etiam  
 bona



bona fugit, ne qua eorum imitatione culpa contrahatur, vestra quæ in illis teterrima fuerunt, ea ardentissimo studio imitatur, illa sibi obtemperantes meliores reddit: vestræ ut quisque diligentissimè paret ita deterrimus euadit. Vereor sanè vehementer, ne sola illa à Deo, vestra à malo dæmone fata sit & propagata, atque hoc etiam magis quod id ipsum interdū præ se ferūt eius auctores. Hæc ego si responderem, ut dixi, ei, qui me veller ad vestram vel vanitatem, vel religionem adducere; si vnamquamque rem iis argumentis quibus antea sum vsus, confirmarem, quid mihi vos consilij daretis? quid censeretis esse faciendum? vtram relinquendam, vtram persequendam viam? etiamsi fateri palam pudor fortasse prohiberet, tamen hoc ipsum, opinor, quod ego nunc sentio, sentiretis in pristina vitæ consuetudine, ac religione maiorum potius permanendum, quàm nouam aliquam, cuius necesse sit, virum sapientem aliquando pœnitere ac pigere, suscipiendam: quod igitur mihi vos, consilium vestrum exquirenti, nisi verum puderet dicere, responderis, idem ipse pro meo studio erga salutem dignitatemque vestram, mea sponte vos moneo & hortor, quicūque iam alienâ fraude capti, vera falsis per ignorantiam post-



posuistis : quam enim mihi vos integra re non suspiciendam rectè putaretis , eandem ipse vobis iam susceptam non imprudenter esse relinquendam puto. Nemo mihi sancti Spiritus afflatum, nemo certam animi fiduciam , nemo constantem suæ mentis tranquillitatem oratione iactet: hæc omnia mali dæmonis arte assimulata possunt esse: eandem enim dicuntur ab omnibus , qui sectas contrarias sequuntur, cum suos quique affirmant , alios negent ad vitam beatam ac cœlestem esse peruenturos : certus omnino sibi videbatur esse Aurelius Augustinus, planè sibi persuaserat verã in Ecclesia, quæ Catholica diceretur, doctrinã inueniri non posse : audire cœpit Ambrosium : hominis amavit eloquentiam , vnã enim suauitate sermonis hausit , quam desperarat apud illum reperiri posse, veritatem : ego non sum Ambrosius , nec vos quidem estis Augustini, sed idem est ac semper erit, qui & dicentem illum instruebat , & hunc audientem excitabat, Deus : pateant aures vestræ sermonibus bonorum: sit apud vos veritati locus: quæ sunt adhuc à me dicta, quæ audistis ex aliis, quæ deinceps audietis, omnia sedulò cum animis vestris considerate: precamini à Deo intelligentiæ lumen , nos ab eodem sine intermissione pacem ac veniam

pete

Confes. 1.  
9. cap. 13.  
& 14.

petem  
diuinit  
larate  
sentiet  
per Ies  
sanguin  
vos vl  
diri pa  
antè c  
cum, r  
si max  
Maxim  
ope f  
ficij c  
ment  
mate  
huma  
omni  
dierin  
futor  
vt se  
hære  
fidu



petemus, tum si qua lux mentibus vestris  
diuinitus oborietur, si quo sensu tacito vo-  
luntates vestræ permouebuntur, si vos impelli  
sentietis, ut eo; vnde discessistis, redeatis,  
per Iesu Christi sequestris nostri vulnera, &  
sanguinem vos obtestor, ut neque pudore  
vos vlllo, neque metu, neque amore impe-  
diri patiamini, quo minus errorē viæ tantū  
antè corrigatis quàm ad eum veniatis lo-  
cum, nullo vt modo queatis corrigere etiā  
si maxime velitis: vos verò, quos Deus Opt.  
Maximus vllam in partem iter flecteretis,  
ope sua conseruauit, memores tanti bene-  
ficij eundem semper animum, eandem  
mentem sententiāque retinere, & existi-  
mate, disciplinam ab infensissimo generis  
humani hoste disseminatam atque auctam,  
omnibus, qui eam acceperint, nisi ad se re-  
dierint, calamitosam & funestam perpetuò  
futuram: qui vt erratum suum agnoscant,  
vt sempiternis erepti malis, regni cœlestis  
hæreditatem nobiscum cernant, omnes af-  
fiduò vota facere debemus.

PP 5